DISSERTATIO CHRONOLOGICA, DE COMPUTO TURCICO-ARABICO & EXCIDIJ...

Aegidius Strauch, Sigismund Hosemann, Valenti Gonzaga

pra monitum, hinc nec Mensium tempestates agnoscũt easdem quotannis, quin po ius contrariis singulis sedecim Annis gaudent ipsi. At Mensis & ex his constituti Anni Lunaris Quantitas cum explorata olim non fuerit satis, dubium cuidam exoriri posset, quamnam retinuerint Anni Lunaris Quantitatem Arabes? Sed evidentissima sunt quæ tradunt *Alfraganus & Albategnius:* poni scilicet uniuscujusq; Anni Quantitatẽ 354 Dierũ & $\frac{1}{5}$ & $\frac{1}{6}$ Diei, etsi una Lunatio contineat 29 Dies cum 793 Scrupulis, quæ Judæi loco Astronomicorum Minutorum usurpant. Sed evidentiora sunt, quæ habet *Christmannus* in Comment. p. 249. Didicerunt Arabes, &, qui eorum Calendariô utuntur, Turcæ, à veteribus Ebræis & Babyloniis; Periodum menstruam ab unâ Solis Lunæq; Conjunctione usque ad alteram absolvi juxta medium motum diebus 29, Horis 12, Scrupulis horariis 793, quorum 1080 integram Horam constituunt. Id Tempus si in 12 Menses distribuatur, consurgunt Dies 354, horæ 8 & Scrupula horaria 876; quæ est Quantitas Anni Lunaris Judaici. Cum autem apud Alfraganum asseratur, annum Arabicum verè constare Diebus 354 horis 8 & Scrupulis horarîis 864; satis intelligitur, voluisse Arabes de industria recedere à Calendario Judaico, cõmodioremq; Annorum suorum Periodum & rationem intercalandi observare. Cum enim Annus communis & ordinarius apud Hebræos sit 354 Dierum 8 Horarum & 876 Scrupulorum; Arabibus Annus constituitur 354 Dierum 8 Horarũ & 864 Scrupulorum. Nam à Spatio Menstruo Arabes subtraxerunt unum Scrupulum horarium; ut Annus ipsorum minor sit Judaico 12 Scrupulis horariis. Quod diserte testatur *R. Abraham filius Chajja* in Computo motuum cœlestium, qui Ebraicè extat manuscriptus in Bibliotheca Palatina, ubi in hanc Sententiam scribit: Scias quod primus Mensis Ismaëlitarum, perpetuo incidat vel in Neomeniam Mensis Israelitarum, vel in diem præcedentem aut subsequentem: quoniam non est inter ipsos & Israelitas in Periodo Mensis lunaris differentia alia, quam unum Scrupulum, quia ipsi numerant in Mensibus suis 29 Dies, 12 Horas & 792, sed nos tribuimus Lunationi 29 Dies 12 Horas & 793.

§. 9. Si

§. 9. Si prædictus Rabbi hoc vult Neomeniam Mensis Arabici civilem semper incidere in Neomeniam Mensis Judaici, quæ astronomica est, animadversionem omnino meretur, fallit enim sic, cum ceu antea indicatum, Arabes Phasin respicientes ad minimum uno die posterius, quam Judæi Menses suos politicos ordiantur. Clara siquidem verba sunt *Alfragani*, quorum veritatem exempla quoque Arabum comprobant: *Menses secundum Ptolomæum computantur, ab una media Solis & Lunæ conjunctione, usque ad alteram: Verus autem Mensis incipit post digressum Luminarium elapso uno Die naturali.* Gemina his habet *Ulug Beigus* c. 1. de cognitione Epochæ Hegiræ: *Mohammedani Menses hujus Epochæ à Phasi Novilunii ad Phasin sequentis Novilunii numerant.* Sin vero hoc sibi velit, Novilunium Judaicum à Novilunio Arabico-astronomico in diebus non discrepare, verum hoc est omnino. Spatio enim 90 annorum differentia inter quantitatem Mensis Lunaris Judaici & Arabici vix unam horam importat, adeoque vix spatio 2160 annorum diei differentiam causare potest.

§. 10. Apparet hinc quoque Menses necessario in Anno communi alternatim plenos & cavos se invicem consequi debere, quod uno ore testantur Computi Arabici scriptores. Ita ergo in anno communi ordinandi sunt Menses:

Nomina Arabica.	Pronunt. eor. Gravii	Pronunt aliorum.	Quantitas,		F.
محرم	Moharram.	Muharram.	30.	30.	0.
صفر	Safar.	Sepher.	29.	59.	2.
ربيع الاول	Rabia prior.	Rabie prior.	30.	89.	3.
ربيع الاخر	Rabia posterior.	Rabie posterior.	29.	118.	5.
جمادي الاول	Jomada prior.	Giumadi prior.	30.	148.	6.
جمادي الاخر	Jomada posterior	Giumadi poster.	29.	177.	1.
رجب	Rajab.	Regiab vel Receb.	30.	207.	2.
شعبان	Schaaban.	Sahaben.	29.	236.	4.
رمضان	Ramadân	Ramadan.	30.	266.	5.
شوال	Schavvâl.	Schèbal vel xavel.	29.	295.	7.
ذ والقعدة	Dulkaadah.	Dulcada, Silcade.	30.	325.	1.
ذوا لحجة	Dulheggiah,	Dilhaga, Zilitsche	29.	354	3.

§. 11. At



بِسْمِ ٱللّٰهِ ٱلرَّحْمٰنِ ٱلرَّحِيمِ

PRÆLOQVIUM.

QUamprimum Deus T.O.M. Luminaria bina, Solem Lunamque creavit, indicesque Temporum constituit, non frustra fuit Promulgatio hæc divina, singulis namque seculis singuli Populi in determinando tempore Solem Lunamque respexere. *Hebræis* equidem utrumque luminare suô cursu, Syzygiisque mutuis, definivit Temporum intervalla; hinc & annis Lunæ-Solaribus usos fuisse eosdem constans Autorum assertio est. Mox *Græci* quoque tempora sua ad utriusque Luminaris motum accommodaverunt, idem & *Germani* antiqui; Nequicquam enim eosdem annos merè lunares agnovisse Etymologicum argumentum evincit. Vocarunt siquidem Mensem certum, flumina mareque navigantibus aperientem, *Faarmanet*; alium, optimô lacte abundantem, *trimilchi*; alium, fœno secando, colligendoque idoneum, *Hoimonat*, alium aliô nomine ad tempestatem, fruges, laboresque rusticos respicientes. Soli *Arabes* vel primùm invenere, vel etiamnum retinent mirabilem Anni formam, lunarem totam. Hanc impræsentiarum per Canones certos explicare animus est; *Tu Pater Temporum annue clementer!*

CANON I.

Originem, dispositionemque tàm Annorum Hegiræ, quàm Calendarii Turcici breviter declarare.

§. *I.* Epocha hæc Turcica quare annorum Hegiræ vocetur neque secum invicem neque cum exteris conveniunt Ismaeli-

tæ. Alii enim ab *Hagar* ancilla Abrahami oriundos asserunt Saracenos, hinc & honori Matris indulgentes Epocham à prima Matre denominasse. Et certum equidem est, vel Saracenis olim cum Ismaelitis optimè convenisse, vel illos quoque ex his ortos esse, hinc & Hierosolymitana Paraphrasis pro Ismaelitis habet סרקיין Saracenos *Gen. 37. 28*, nec abnuit Clariss. *Bochardus* Geograph. Sac. part 1. quam *Phaleg* inscripsit p. 241. & 255. quo in loco addit insuper, absurde Agarenos *Hungaros* vocari à Chaldæo quoque Psalm. 83. 7. & alibi, quem, cum Chaldæo communem errorem etiam in hodiernum usque diem errant Judæi, Ungaros Agarenos, Turcas vero Ismaelitas vocantes; vid *Buxt. Lexic. Talmud.* voce הגר. Sed litem hanc de Origine Turcarum & Hagarenorum nostram non faciemus, quin potius cum *Laonico Chalcondyla* L. 1. *de Rebus Turcicis*, ignorantiam hanc nostram profitemur, ne à vero aberrare videamur. Etsi forsan in Sententia hac de origine Turcarum subsisteremus; non tamen facile erroris accusari possemus.

§. 2. Altera vero Sententia de origine annorum Hegiræ propria Arabum esse videtur. Hi enim Nominis derivationem hanc tradunt, quod Hegiræ hæc vocata sit Epocha, *à fuga Muhammedis* Pseudoprophetæ ex Urbe Mecha. Hanc derivationem non obscurè quoque laudat *Ulug Beigus* Indiæ citra extraque Gangem Princeps, quem ex editione *Johannis Gravii* arabicè & latinè habemus. Ita enim ille: *Initium bujus Epochæ est principium Muharram, illius anni, in quo Propheta noster Mohammedes Mostafa, cui benedictio & Pax sit à Mecca ad Medinam migrabat.* Et notat *Scaliger* L. 11. de E. T. p. m. 136. ad derivationem hanc, quàm ab Arabibus passim inculcari asserit, Mohammedem, ut simiam Christianorum in multis, ita & in hoc esse, quod Principium æræ suæ eadem appellatione notaverit, qua Christiani suæ à Diocletiano. Ut enim æra Diocletiana dicta est æra Martyrii, ita etiam æra Mahomedis dicta est Hegiræ, quod nihil aliud est quam *Martyrium* aut διωγμὸς ὑπὲρ τῆς θρησκείας.

§. 3. Quô verò, vel Christi vel Periodi Julianæ Anno, Mense, Dieque, fuga hæc auspicatissima acciderit, majoris forsitan

momen-

momenti est inquirere; ita enim constabit de initio hujus Epochæ. Et quod Annum quidem attinet, consentiunt Autores, eandem fugam accidisse Anno Christi 622. adeoque Per. Jul. Anno 5335.

§. 4. De Die Feriaque res videtur paulò intricatior. *Mahomedes Alfraganus* autor Elementorum Chronol. &c. quæ *Christmannus* vertit & edidit, feriam quintam Characterem laudat his Verbis: Character Annorum Arabicorum, à Tempore quo fugit Muhamed ex Mecha, in Civitatem quæ appellatur Jetrib, est Dies quintus. Ita & in *Alphonsinis Tabulis* fundamenti locô præsupponitur, primam Muharram primi Anni Hegiræ decimam quintam Julii, Feriam quintam fuisse. Sic & *Müllerius* in Anno Lunari. At alii non minoris Autoritatis Scriptores, quos & *Scaliger*, Dnq. D. *Behm*, *Calvisius*, *Christmannus* ipse aliique sequuntur, pro primo Muharram habent decimam sextam Julii Feriam sextam. Utra ergo Supputatio Calculum meretur? Respondemus Autores Alphonsinarum Tabularum vel Alfragani Testimonium haud intellexisse satis, vel ipsum Alfraganum cū Sociis Arabibus quoq; in trádēdo hoc Charactere errasse: quippe cum, si Feria quinta Hypotheseos loco præsúpponatur, vix ac ne vix quidem connexio Feriarum Alphonsina cum Arabica usuali conveniet. Hinc dicimus nos decimam quintam Julii Diem durasse equidem adhuc, si spectes Astronomorum computandi rationem, quæ à Meridie in Meridiem instituitur: At si Judæorum Computum & ipsorum Arabum sequamur jam 6. Feria cum 16to Julii quasi inierat. Noctu enim fugâ sibi consulebat Pseudopropheta; At cum Sole occidente & Judæi & horū æmuli Arabes diem inchoant suum, Feriam sextam ergo jam inceperant, ut adeo hic Character feriæ loco fundamenti in anno primo Hegiræ merito præsupponatur. Neque absurdè *Christmannus*, cum de differentia hac dixisset subjungit: Nos more politico sumimus initium Hegiræ à Feria sexta, Die scilicet Congregationis, quæ secuta est Neomeniam cœlestem, in quâ Die Muhamed post recuperatam Mecham prædicare cœpit, & Dogma suum impium promulgari curavit: unde etiam ab

A 3 Inter-

Interprete Averrhois Anni Hegiræ appellantur anni à prædicatione Muhamedis. Sequimur autem Saracenum, cum facimus Initium Annorum Hegiræ à feriâ sexta, is enim ita scribit: *Quidam incipiunt Computationem Mensium à Nocte quinta Feria & ponunt ibi Almubaram anni repulsionis: & quidam ponunt ipsum à nocte Diei Veneris & secundum illud fixus est ille noster liber: quoniam ista Dies fuit Initium Anni veri & est magis conveniens ortui nova Luna.*

§. 5. Alio tamen modo videtur huic dubio satisfacere velle *Ulug Beigum*, ita enim is de hac differentia è Versione *Gravii: Principium Muharram illius Anni, in quo Propheta noster Mohamedes Mostafa, cui Benedictio & Pax sit, à Mecca ad Medinam migrabat, secundum medium Calculum est Feria quinta, sed secundum Phasin Luna Dies Veneris. Nos autem Feriam quintam accipimus.* Ut adeo differentia hæc orta fuerit ex neglectu distinctionis inter Synodum & Phasin.

§. 6. At, nisi vehementer fallor, duo in his verbis Arabis desiderari possunt. *Primum* est quod falso afferat Synodum accidisse Feria quinta. Instituat quis Calculum, Novilunium istud, ad quod sine omni dubio respicit hic Autor nō reperiet in feria 5ta. Aliam enim Novilunii diem è *Clariss. Longomontani* Tabulis institutus exhibet Calculus, quem egregiè confirmat *Nicolaus Müllerius* in Anno Lunari p. 70. Ille enim Novilunium reperit è Tabulis Ptolemaicis in Julii Die decimo quarto, 19/ 3'/ post mediam noctem, sub Meridiano Ægypti.

§. 7. *Alterum* quod desidero in Arabis prænominati Sententia (si modo versio Gravii se rectè habet) est, quòd neglecta Phasi Synodum recipiat. Aliud ipsum docere poterat vel vulgaris Arabum traditio, quæ refert, nunquam Mensem auspicandum esse die Novilunii, ideo ne lætitia Diei, quæ solennis ipsis est & Sacra, Passione Solis quæ forsitan accidere posset, obfuscetur.

§. 8. Constitutô jam verô Principiô hujus Epochæ, ulterius de Principio materiali Continuationis ejusdem breviter dicēdum: Scilicet Anni merè lunares in usu sunt Turcis, ceu & supra

§. 11. At cum anno lunari astronomico adhæreant Horæ, necessario sequitur intercalandum interdum esse, ne si perpetuò negligantur, tandem initium Mensis civilis cum Astronomici prorsus non conveniat. Ita ergo de intercalatione hac *Ulug Beigus*: *Singulis Annis tricenis Mensem Dulheggiah undecies constituunt triginta Dierum; Atque hoc fit anno secundo & quinto, & septimo & decimo & decimo tertio & decimo quinto & decimo octavo & vigesimo primo & vigesimo quarto & vigesimo sexto & vigesimo nono.* Hi undecim sunt Embolymæi & vocibus [illegible] comprehenduntur. Sed quidam loco decimi quinti constituunt decimum sextum embolymæum. Hactenus, quem nobis communicavit Gravius.

§. 12. Unde vero decimum quintum Periodi Arabicæ annum interdum ὑπερήμερον esse habeat *Beigus*, equidem divinari haud possumus. *Alfraganus* sane sine ulla hæsitatione, vel diversitatis annotatione 16tum demum ὑπερήμερον facit, quem præter *Christmannum* & ab ipso citatos; *Alfonsinos*, *Arzachelem*, *Ropertum*, *Episcopum Linconiensem*, *Paulum de Middelburgo*, *Episcopum Foro Semproniensem*, *Jordanum* sequuntur quoque *Scaliger*, *Calvisius*, *Amplisſ. Franckenberg.* *noster* & ipse *Nicolaus Mullerius* quoque.

§. 13. Quare vero Bissextiles annos, ut se hoc ordine consequantur, ordinaverint Arabes, eruere conatur *Christmannus*, cujus discursus, haud vanus tamē, cum prolixior sit, apponi non potest. *Jordani* tantum Tabellam quâ annos supra nominatos bissextiles esse per fractiones annexas demonstrare conatur, quamvis nobis vix satisfacere videatur, apponemus. addidimus quoq; nos dies cujuscunque Anni Periodi Arabicæ collectos, quæ collectio, etsi artificiosa adeo non sit, nobis tamen in Canonibus sequentibus mirum quantum præstabit usum.

 diem

I. TABULA.

	Anni Cyclici	Tricesimæ.	Dies.	F.
	1	22	354	6
B.	2	3	709	3
	3	14	1063	1
	4	25	1417	5
B.	5	6	1772	2
	6	17	2126	7
B.	7	0	2481	4
	8	9	2835	2
	9	20	3189	6
B.	10	1	3554	3
	11	12	3898	1
	12	23	4252	5
B.	13	4	4607	2
	14	15	4961	7
	15	26	5315	4
B.	16	7	5670	1
	17	18	6024	6
B.	18	0	6379	3
	19	10	6733	1
	20	21	7087	5
B.	21	2	7442	2
	22	13	7796	7
	23	24	8150	4
B.	24	5	8505	1
	25	16	8859	6
B.	26	0	9214	3
	27	8	9568	1
	28	19	9922	5
B.	29	0	10277	2
	30	11	10631	7

§. 14. *Diem ordiuntur* Arabes *ab occasu Solis*, cujus instituti rationē perspicuis *Alfragang* prodit verbis, quando ait: *Voluerunt autem Arabes à vespera Diem auspicari, quoniam à Phasi lunari incipiunt numerare dies Mensium*, addit *Mullerius*, uti & omnes Populi, qui olim Mensibus utebantur lunaribus.

§. 15. In *Feriarum serie* nihil immutatum ab Arabibus est, quam enim nos Feriam primam, secundam & sic porrò vocamus, eadem & ipsis hoc nomine venit.

§. 16. Restat ut dicamus quoque de diebus solennibus, quos Festa vocemus, Arabum & Turcarum. Hi *Diem Veneris* quidem pariter sacram habent, ceu nos Diem Solis, Judæi Sabbatum. Hinc *Alfraganus*: quintum diem congregationis Dies sequitur. Et sunt nonnulli qui putant Feriam sextam ideo à Turcis celebrari, quod eâdem Mohammedes aufugerit, ceu supra diximus. At alia in opinione *Scaliger* est, ita enim ille: Ego scio antiquiorem superstitionem esse propter venerē, quā CHOBAR vo-

cant

vocabant & summâ superstitione antiquitus venerabantur. Quid si conjungeremus utramque caussam, ut adeo Veneris Diem sacrum statuerit Pseudopropheta & quo ab Ebræis Christianisque lex sua dissentiret, eum Paganorum contra consuetudine conveniret, quam ob rem & ad meridiem conversos Turcas suos Deo supplicare docuit, & quo memoriam diei, quo Rex factus esset, ut scribit *Cuspinianus*, conservaret.

§. 17. Cæterum *Ulug Beigus* de diebus celebrioribus in Epocha Arabica sequentia habet: in Apocha Arabica Novilunium Moharram est caput novi anni, & primi decem Dies Moharram sunt *Dies numerati*. Decimus dies Moharram dicitur Ashur. Decimus quintus Rajab, est dies Victoriæ, septimus & vicesimus ascensio & exaltatio prophetæ, cui benedictio & pax sit. Nox decima quinta Schaaban, nox Barah est. Nox vicesima septima Ramadan, nox Potentiæ est. Novilunium Schavval est Festum Paschatos Mohammedici. Decem primi dies Dulheggiæ, dies noti sunt, octavus Dulheggiæ est dies revelationis: nonus est dies Arefat, decimus Festum lucidum; undecimus & duodecimus & decimus tertius sunt dies illustrationis & dies numerati. Decimus dies est solummodo Nahr: undecimus & duodecimus sunt Nahr cum illustratione: decimus tertius dies est solummodo Illustrationis. Decimus tertius dies & decimus quartus & decimus quintus cujuslibet Mensis sunt albi. (hoc est fausti) Moharrham, Rajab, Dulcaadah & Dulheggiah menses sunt vetiti sive sacri. Hactenus Beigus, Sed & *Corn: Haga* præpotentum ordinum Belgicarum Provinciarum Legatus in Aula Turcica, in Calendario ad Nicolaum Mullerium misso, testari videtur undecimo Die Rabiul Evvel, qui tunc, anno Muhamerano 1028, erat 17 Dies Februarii, Natalem Mahomet celebratum esse. *Scaliger* vero L. II. de Emendatione Temporum p. m. 156. Natalem impuri Muhamedis transfert in XII Rabie prioris. Sed differentia nulla est, erat enim XII Rabie iniens & XI completa. Ansam ita has duas sententias conciliandi præbent ipsa verba Scaligeri: *obiit igitur vesperi diei XI. Clarius*: cœpit XII. dies Rabiul Evvel vespori diei XIII. Februarii, sequentiit aque die luce orta celebrabant Natalem &

Sacra faciebant. Ut adeò pulcherrimus hic consensus. Sed mirum Legatum Belgicum non plura Festa numerare, vel, si numeravit, Mullerium eorundem nullam mentionem injecisse. Ut verum fatear, nunquam visum mihi est Calendarium accuratum esse; spurium istud judico, repugnat enim traditionibus indubitatis Arabum doctissimorum, qui unô ore asserunt; alternatim plenos & cavos menses in anno quolibet obtinere, excepto ὑπερημμέρῳ anno. At Calendarium Hagæ ter menses ejusdem quantitatis se invicem insequentes agnoscit. Aut itaque de certitudine cum Mullerio contra omne Arabum Testimonium desperandum, aut de veritate & autoritate Calendarii Mullerii dubitandum. Prius non nisi insanus fecerit.

CANON. II.

Annos Hegiræ, Menses Mensiumque dies in Epocha Turcica numeratos, ad Annos, Menses, Mensiumque Dies in Periodo Julianâ reducere.

§. 18. Præsuppositâ jam anni Turcici quantitate, præsuppositâ quoque Periodi Arabicæ è triginta annis merè Lunaribus conflatæ genuinâ & indubitatâ utilitate, paucissimis tota Methodus comprehendi poterit Præceptis. Scilicet anni Hegiræ dati, quibus tamen nihil desit eorum, quot dicuntur, per triginta dividendi sunt, si Quantitas Numeri Divisionem admittit, sin minus ad morem, quo cum residuo Tabella nostra ingredienda. Illic in quoto Periodi, in Residuo solitarii anni exhibentur. Periodi quantitas nota est. Hæc se toties major fiat, quoties ipsam numeri progenuere. cum residuo §. 13. exhibitam Tabellam ingredere, ibique dies respondentes excerpe & prioribus addes, quo habeas, quot ab Epochæ Turcicæ initio usque ad datum Hegiræ annum elapsi sunt dies. Cui dierum summæ addas Radicem Scaligerianam, scilicet 227016. dies, quos ab Epochæ Christianæ putatitiæ initio usque ad pseudoprophetæ fugam elapsos esse è §. 4. facile intelliges, & habebis, quot inter Epochæ Christianæ vulgaris & anni Hegiræ dati initium, intercepti

cepti sint dies, quorum Numerum per Quantitatem anni Juliani majoris divides, & quotiens lustra, residuum & annos interdum & dies Julianos & Menses exhibebit, quas temporis species omnes pro completis habe, lustris dein in sua Principia resolutis, & annis, si qui exhibiti sint, solitariis additis, quæstioni satisfacere poteris eatenus ut annum Christi Mensemque Diemque indices, quo annus Hegiræ datus inceperit. Reduc dein per additionem annorum 4713. annos Christi ad Periodi Julianæ annos, quo facilius Characteres explorare posses & quæstioni per omnia satisfactum erit.

TABULA II.

Cycli.	Dies.	Anni Heg.	f.
1	10631	30	5
2	21262	60	3
3	31893	90	1
4	42524	120	6
5	53155	150	4
6	63786	180	2
7	74417	210	7
8	85048	240	5
9	95679	270	3
10	106310	300	1
20	212620	600	2
30	318930	900	3
40	425240	1200	4
50	531550	1500	5
60	637860	1800	6
70	744170	2100	7
80	850480	2400	1
90	956790.	2700	2

§. 19. Δοκιμασίας loco Characterem Muharram quoque explorare poteris hâc Methodô: Annos Hegiræ datos completos tamen per 30 divide, ut in quoto Periodos in residuo habeas Annos solitarios. Periodos datas vel per 5 multiplica & Cyclum Feriarum quoties opus est rejice, vel immediatè Tabulam II ingredere, Feriamque respondentem excerpe. Annos dein residuos incompletos iterum redde, iisdemq; Tabulam primam ingredere & Feriam respondentem excerpe, cui quæ Periodorum numero respondebat, adde, ne tamen aggregatum Cyclum superet, & habebis Chara-

Sacra faciebant. Ut adeò pulcherrimus hic consensus. Sed mirum Legatum Belgicum non plura Festa numerare, vel, si numeravit, Mullerium eorundem nullam mentionem injecisse. Ut verum fatear, nunquam visum mihi est Calendarium accuratum esse; spurium istud judico, repugnat enim traditionibus indubitatis Arabum doctissimorum, qui unô ore asserunt; alternatim plenos & cavos menses in anno quolibet obtinere, excepto ὑπερημέρῳ anno. At Calendarium Hagæ ter menses ejusdem quantitatis se invicem insequentes agnoscit. Aut itaque de certitudine cum Mullerio contra omne Arabum Testimonium desperandum, aut de veritate & autoritate Calendarii Mullerii dubitandum. Prius non nisi insanus fecerit.

CANON. II.

Annos Hegiræ, Menses Mensiumque dies in Epocha Turcica numeratos, ad Annos, Menses, Mensiumque Dies in Periodo Julianа reducere.

§. 18. Præsuppositâ jam anni Turcici quantitate, præsuppositâ quoque Periodi Arabicæ è triginta annis merè Lunaribus conflatæ genuinâ & indubitatâ utilitate, pautissimis tota Methodus comprehendi poterit Præceptis. Scilices anni Hegiræ dati, quibus tamen nihil desit eorum, quot dicuntur, per triginta dividendi sunt, si Quantitas Numeri Divisionem admittit, sin minus ad morem, quo cum residuo Tabella nostra ingrediendа. Illic in quoto Periodi, in Residuo solitarii anni exhibentur. Periodi quantitas nota est. Hæc se toties major fiat, quoties ipsam numeri progenuere cum residuo §. 13. exhibitam Tabellam ingredere, ibique dies respondentes excerpe & prioribus adde, quo habeas, quot ab Epochæ Turcicæ initio usque ad datum Hegiræ annum elapsi sunt dies. Cui dierum summæ addas Radicem Scaligerianam, scilicet 227016. dies, quos ab Epochæ Christianæ putatitiæ initio usque ad pseudoprophetæ fugam elapsos esse e §. 4. facile intelliges, & habebis, quot inter Epochæ Christianæ vulgaris & anni Hegiræ dati initium, interceptі

tepti

cepti sint dies, quorum Numerum per Quantitatem anni Juliani majoris divides, & quotiens lustra, residuum & annos interdum & dies Julianos & Menses exhibebit, quas temporis species omnes pro completis habe, lustris dein in sua Principia resolutis, & annis, si qui exhibiti sint, solitariis additis, quæstioni satisfacere poteris eatenus ut annum Christi Mensemque Diemque indices, quo annus Hegiræ datus inceperit. Reduc dein per additionem annorum 4713. annos Christi ad Periodi Julianæ annos, quo facilius Characteres explorare posses & quæstioni per omnia satisfactum erit.

TABULA II.

Cycli.	Dies.	Anni Heg.	f.
1	10631	30	5
2	21262	60	3
3	31893	90	1
4	42524	120	6
5	53155	150	4
6	63786	180	2
7	74417	210	7
8	85048	240	5
9	95679	270	3
10	106310	300	1
20	212620	600	2
30	318930	900	3
40	425240	1200	4
50	531550	1500	5
60	637860	1800	6
70	744170	2100	7
80	850480	2400	1
90	956790.	2700	2

§. 19. *Δοκιμασίας* loco Characterem Muharram quoque explorare poteris hâc Methodô: Annos Hegiræ datos completos tamen per 30 divide, ut in quoto Periodos in residuo habeas Annos solitarios. Periodos datas vel per 5 multiplica & Cyclum Feriarum quoties opus est rejice, vel immediatè Tabulam II ingredere, Feriamque respondentem excerpe. Annos dein residuos incompletos iterum redde, iisdemq; Tabulam primam ingredere & Feriam respondentem excerpe, cui quæ Periodorum numero respondebat, adde, ne tamen aggregatum Cyclum superet, & habebis Chara-

cterem Muharram anni de quo quæstio est, & ex eadem tabula cœterorum mensium omnium.

§. 20. Si vero de prima Muharram quæstio non sit, sed alia quocunque Mense ejusdemque die, prima Muharram explorata, applica L.1. Eucl. Axioma II. & quæstione satisfacere haud difficulter poteris.

§. 21. Restat ut Exemplis declaremus Methodum hanc nostram, quam scimus perpetuam esse, nec unquam fallere, hinc & ab Emerito Sene *Dno Franckenbergero Præceptore nostro optimo* probari. Assumamus primò emortualem Pseudoprophetæ Annum Mensem & Diem. *Illustriss. Scalig.* L.II. de Emend. Temp. p.136. & 137. dicit: Arabem Chronologum ad Calcem Alcorani additum & receptam antiquitus Muhammedanorum opinionem testari; obiisse Pseudoprophetam Anno Hegiræ X, Feria II, XII. Rabie prioris. Quæritur quo anno quove Die in Per. Jul. anima exiverit scelestissimo Corpore? Inquirendum ante omnia in primam Muharram est anni hujus X arabici, quam si juxta præcepta calculum instituas, invenies convenisse cum Aprilis Die 9 Fer. 3. anni Christi 631, Period. Jul. anno 5344. Et Feriæ quidem Characterem exhibet quoque Tabella nostra prior, §. 13 exhibita. Rabie itaque XII. incepit vesperè diei XVII. Junii Fer. 2. Ut sic Character feriæ veritatem calculi solidissime confirmet.

§. 22. Sed aliud assumamus exemplum: Quis unquam *Illustr. inquit Scaliger L.V. de Emend. p.529.* putasset, tam illustris Urbis ac dominæ Orientis tam infelix fatum fore, ut cujus calamitas ignorari non potest, dies calamitatis ignoretur? Omnes Christiani Mense Majo captam dicunt & Græci etiam Diem Septimanæ notant Feriam tertiam. Subjungit dein documenta, quæ se invicem evertere putat. At nihilominus concludit: *De Anno quidem non dubito, fuisse 1452, sed de Mense delibero.* Quæ ergo *Müllerii* oscitantia, quum scribebat, Scaligerum in Lib. de Em. T. quem citat productis utrinque argumentis sese explicare non potuisse, neq; quod annum attinet. Annon vero se explicat satis, qui scribit se de Anno 1452. non

dubi-

dubitare? Ipsam rem quod concernit, *Mullerii* vestigia hic sequemur, quæ pluribus testimoniis & confirmabimus & quæ obstare videntur pro virili removebimus.

§. 23. Testimonium itaque Turcicorum Scriptorum, quod ex Leunclavio citat, & adeo evidens est, ut nec Scaliger L.II. Canon. Isagog. idem aspernetur, sequentibus absolvitur verbis: *Accepimus Urbem oppugnari cæptam anno Muhametano octingentesimo quinquagesimo septimo, die* XVII, *Mensis Rebiul Ewel, tandem die* XX. *mensis Turcici Tzemasiel Ewel, qui dies Martis erat, matutino Tempore in hostilem potestatem venisse.* Si juxta Methodum nostram instituatur Calculus, apparebit, primam Muharram anni Hegiræ dati 857. concurrisse cum 12, Januarii die. fer. 6. anni Christi 1453. Per Jul. 6166, Cyclo Solis 6to, Lunæ 10 Rabie prioris vero XVII diem, cum 28. Martii fer. 4. & denique diem XX. Glumadi prioris cum 29. Maj, fer. 3. convenisse. Et quia hic annus Cyclo Lunæ 10 gaudebat, Pascha celebratum fuit 1 Aprilis die, ut adeo feria tertia, quâ Urbs capta dicitur festum SS. Trinitatis potius, quam Pentecostes immediatè insecuta fuerit.

§. 24. Ne tamen amplius dubium restare posit de Anno, quô captum est Byzantiũ, produco Patriarchicam Historiam barbarogræcam à *Martino Crusio* cum versione editam. In hac enim ita legitur: *ἦσαν χρόνοι ἀπὸ χριστοῦ γεννήσεως χίλιοι τετρακόσιοι πεντήκοντα τρεῖς, Μαΐῳ εἰκοστῇ ἐννάτῃ, ἡμέρᾳ τρίτῃ.* Quid quæso clarius dici poterat? Sed eundem annum nominat quoque *Leonardus Chiensis Mitylenæus Archiepiscopus* in sua ad Pontificem eodem anno data Epistola, quem, utpote his temporibus proximum ad sanctissimum quem vocat, Pontificem vera vel scribere non potuisse, vel noluisse equidem nunquam crediderim. Sed & *Æneas Sylvius* hic nobiscum facit, *Leonicus Chalcondilas* quoque, si cum *Baptista Egnatio* conferatur. Testatur is Libr. de origine Turcarum Mahumetem II. obiisse anno salutis nostræ 1481, cum annum unum & triginta præfuisset. Iniit itaque regnum anno Christi 1450. At anno tertio Mechmetis, (ita legi-

tur

tur in Francofurt: & Basileensi Edit.) autor est Chalcondylas, Constantinopolim captam & marcellum Christianorum effectam esse. Cui neque hæc sufficiunt, conferat *Francisci Fascari* Venetiarum Ducis ad Fridericum Imperatorem datam eodem anno, quo Urbs capta, Epistolam, quæ extat in Æneæ Sylvii Epistolis.

§. 25. Sed nec desunt alii & recentiores iidem qui suo Calculo & assensu nos mirificè confirmant. Inter quos *Divinus Hulsemannus*, in Concione super obitum Annæ Scheibens anno 1647 habita, *Albertus Krantzius* Wandal. L. XII. mihi p. 291, *Johannes Baptista Egnatius* Venetus de Cæsar. L. II. p. mihi 38, *Johannes Leuenclavius* Pand. Hist. Turc. p. 170. cujus summæ autoritatis in historica hac relatione Viri decretoriam Sententiam non possum non apponere: *Certum est, inquit, captam Constantinopolin à Muchemet II die 29. Maji, quem IIII. Kalend. Jun. vocamus Anno Christi 1453 non 1452. quemadmodum apud Æneam Sylvium per errorem librarii fortasse scriptum legitur. Potest hoc etiam ex collatione Muhametanorum annorum ad Christianos colligi, Wolffgangus Drechslerus* in Chronico Turcico ad annum 1453, *Sethus Calvisius* ad eundem annum Christi, *Petavius* de Doctr. Temp. *Johannes Cluverus* Epit. Histor. Mundi *Dominus D. Helvicus* in Theatro Histor. *D. D. Behmius*, *Cuspinianus*, *Matthias Krentzhemius*, *Bucholzerus*, *Micralius*, & quis non?

§. 26. Restat ut videamus, quæ objiciat *Scaliger* cum *Crusio* suo. Profert ille verba, quæ extant in libro qui inscribitur ἄνθος ex fide Martini Crusii, εἰς τοὺς χιλίους τετρακοσίους πεντήκοντα δύο, εἰς τὰς εἰκοσιεννέα τοῦ Μαΐου ἡμέρα τρίτη. Urget dein Testimonium *Isidori Cardinalis* participis cladis qui in Urbis direptione una cum multis aliis captus fuerit, eundem enim, ait, in annum 1452. cladem conferre. Denique Philelphi Epistolâ quadam, ad Filium suum, Mediolani scriptâ Anno 1452, qua Constantinopolim â Turca obsideri queratur, tueri se studet. Vix quicquam *Martinus Crusius* habet præterea, quæ non ex eodem hauserit Scaliger.

§. 27.

§. 27. Sed respondemus nos (1) autoritates & Testimonia in medium allata nullius prorsus autoritatis esse, si cum toto choro Historicorum jam jam citatorum conferantur. In historicis sanè fieri aliter non potest præterquam ut, si autores à se invicem dissentiant, potiorum ac plurium autoritate stetur. Sed (2) respondemus in specie, primum equidem testimonium quod citatur à Scaligero, secum ipso pugnare, hinc non nisi rudem in Temporum doctrina autorem habere, nisi quis scribam accusando,, autorem excusare velit. Secum ipso pugnare dixi, quis enim nescit Anno Christi 1452. Maji diem 29. non feriam tertiam sed secundam potius fuisse? & si 29. Maji non fuisse feriam tertiam fatetur Scaliger, quid dubiæ autoritatis Autore harmonicè sibi constantem Chorum Historicorum vexat? Cæterum quę restant testimonia malè intelligi à propugnatoribus falsæ Sententiæ minimè dubitamus. Scilicet bis obsedit Byzantium Muhametes, quod Scaligeri admirator & sine æmulo discipulus *Calvisius*, optimè ex *Laonico Chalcondyla* colligit. Anno siquidem Christi 1452. dum arcem, Byzantii Exitium extruunt Musulmanni, interim Constantinopolim obsidet Rex. Mense tamen Augusto, arce absolutâ recedit. Et post septem Menses redit Christianorum pestis. Neque obscura sunt verba *Isidori*, quæ in Epistola ejusdem habentur, loquitur enim de tali Obsidione, quâ durante adhuc, Græci Oratores, ad Pontificem Nicolaum quintum, implorantes auxilium & pecuniam, frustra miserint. At quam primum Urbs undique cincta esset, neminem egressum ex eadem legimus, multo minus responderi potuit à Pontifice, Græcos se suis pecuniis posse juvare, si exponere vellent, conducendo Gentes. Quomodo enim conducere gentes poterant, quibus exitus non patebat? Sed & *de Scaligero* valet: Optimus interdum dormitat Homerus: (revera invito propemodum stylo redargutionem sententiæ hujus absurditas exprimit) oscitanter enim summum Virum Isidorum consuluisse vel ex eo apparet, quod captum eundem asserat. Falsissimum hoc est, siquidem manus illorum evasit, ne occideretur, vel caperetur

C

peretur, quia ingressis in Civitatem Turcis, habitum dimisit, & apparatum Cardinalatus, & vestibus vilibus indutus, inter fugientes è Civitate se immiscuit incognitus & inde ad Peram Civitatem, non longè à Constantinopoli distantem; se duci per mare curavit, quod Editor Epistolæ & totidem verbis præmittit. Sed & ipse Cardinalis his verbis utitur: *Eorum actus & opera propriis oculis vidi & cum aliquibus constantissimis Viris unà plura perpessus sum mala & pericula, licet de manibus eorum me eripuerit Deus, ut Jonam de Ventre Ceti.* Non equidem me fugit *Leonicum Chalcondylam Atheniensem* è versione Clauseri L. VIII. de rebus Turcicis sequentia perhibere: In hac rerum turba miserabili, captus est Cardinalis Isidorus Sabajorum Antistes, qui ductus in Galatiam Urbem venditus est & conscensa navi profugit in Peloponnesum. Si Rex Turcarum Virum hunc novisset, videlicet quod Cardinalis esset, certè eum interfecisset nec eum fuga elabi permisisset. Verum cum eum quoque inter cæteros cæsum esse putaret, nullam ejus rationem habuit. Veruntamen vel de alio Isidoro loquitur Chalcondylas, nunquam enim memini Sabajorum Antistitem vocari Isidorum Ruthenum, Sabinensis Episcopus dicitur, &c. vel proprio Cardinalis testimonio de se se testimonium alieni meritò posthabemus. Quis enim dubitat ipsum de se ipso veriora prodere potuisse. Adde quod cum se ipso pugnare videatur *Laonicus*, si enim fugâ sibi consuluit, quomodo captum fuisse eundem dici potest? Sed nolumus in re clara prolixiores esse, ne prolixitate nostra certitudinem causæ suspectam reddere videamur.

CANON III.

Annos Menses diesque in Periodo Juliana & consequenter quacunque Epocha numeratos, cum Annis Mensibus & Diebus in Periodo Turcico Arabica numeratis convenienter connectere.

§. 18.

§. 28. Præcepta §. 18. ad Canonem præcedentem addita hic invertantur, seu ordine retrogrado procedatur & absque ulla difficultate satisfieri poterit quæstioni. Brevitati nos studentes nolumus otio abuti.

Deum interim T. O. M. Præsidem armorum nostrorum, devotis invocamus precibus, ut tandem imperio truculentissimorum istorum hominum, (si fas est adhuc eo nomine ipsos conseri) arctissima religione sibi devotos eximere velit, quo prodigia, quæ passim audimus; φαινόμενον cœleste, quod tam brevi tempore tantos cursus per tot regionum Turcis conjunctissimarum vertices confecit, clamorem angelicum, ignem denique qui pleramque urbem, quod referunt, rapiditate incredibili pervagatus, eâdem violentia consumptis exæquatisque humi publicis, privatisque ædificiis, inania locorum spatia patefecit & repentinum & vehemens lacertarum hostilium exitium præsagitione divina prædixisse felicissimo eventu doceamur! Firma ô DEUS tuô numine nostram fidem!

S. D. G.

Ad

AD

Florentissimum DN. RESPONDENTEM, *Liberalium artium cultorem felicissimum.*

TUrcarumque Arabumque Epocham tractare theatro
Doctorum digna est res, Hosemanne, virûm;
Scinditur hic numerans studia in contraria sensus,
Et fingit dubiam de Mahumede fugam.
Diversas, Hosemanne, fuga per pulpita mentes.
Id Tibi Paschali tempore laudis erit.

αὐτοσχεδίασε

PRÆSES.

